

ex tribus Collegii partium summam conficiebant , ambigen-
di locus non relinquebatur , quin , si ad adorationem ventum
esset , Severinas Pontifex crearetur . Verum dum , sacris pera-
ctis , a senioribus initium fit , Ascanius Columna , Severinatis
hostis , qui , ne patruo pontificatum petenti officeret , palam
se ab aliis sejungere noluerat , fore ut aliquis prior referret
pedem arbitratus , cum eo jam res redigeretur , ut haud du-
bie Severinas Pontifex fieret , repente altiori voce enuntians ,
Divino se impulsu Spiritu ei suffragari non posse ; momen-
to , reliquis contra nitentibus , facello egressus , septemdecim
se adjungit . Cunctorum ob id perturbatis animis , comitia ta-
men minime intermittuntur : ex quatuor ac triginta , viginti
octo suffragia Severinas tulit ; quibus cum duo accessissent ,
statim creatum esse Pontificem pronuntiant . Nec deerant , qui
illico sterni fores , atque in divi Petri basilica de more sisten-
dum atque adorandum censerent ; ac , ni pauci , quibus com-
mune bonum cordi erat , obstitissent , moderatisque consiliis
fervidos animi impetus comprimere ac sedare adnixi fuissent ,
vehemens , neque facile extingendum incendium exortum fo-
ret . Verum licet a promulgando Severinate abstinuissent , le-
gitime tamen creatum ajebant . Idem ipse confirmabat : obte-
stabatur ; decem atque octo , qui in suffragia non iverant ,
reliquos impedire nequivisse , quin æris campani pulsu de mo-
re ad comitia accederent ; unicuique liberum atque integrum
esse , ut electioni intersit ; si qui privato affectu adesse nolint ,
dum sacrosanctæ leges serventur , aliorum auctoritatem infrin-
gere , aut labefactare non posse . Hæc palam a Severinate ejus-
que sectatoribus dicebantur ; qui jurisconsultorum , rituum , cæ-
remoniarumque Pontificum libros depositum , ut , quid jure
decernatur , inspiciant . Contra alii , non privata ratione se-
cessisse ajebant , sed quod (integra religione) studia , ambi-
tum , artes adhibitas ferre non possent ; suffragia minime libe-
ra ; cuncta pollicitis minisque referta ; in Severinatem binas
collegii partes non consensisse ; qui minori suffragiorum numero
se Pontificem appellat , ejusdem fautores , sectatoresque sacris
Concilis , Summorum Pontificum decretis fidelium communio-
ne amoveri . Severinas vero posthac , absque jurium suorum
detrimento , comitia habenda dicere .